

λόγος: tertium de Vnione Naturarum. Ecclesia verè Catholica fidem exponit.

I. DE NATVRIS.

35. Ac initio quidem extra controversiam in Ecclesia positum esse arbitramur, duas in Christo Servatore esse naturas, toto etiam genere à se invicem differentes: Divinam nimirum & humanam.

36. Eò enim respicit universa scriptura sacra, quæ utramque naturam disertè in Messia nostro, Christo Iesu exprimit: ut Ier. 23, 5. 33. 15. Luc. 1, 35. Matth. 16, 16. 1. Tim. 3, 16. Ioh. 1, 14, &c.

37. Neque verò est, ut divinitatem Christi pluribus hoc loco argumentis probemus: Quo labore jam antè in disputatione superiore tertis defunctos nos esse novimus.

38. Illud duntaxat observationem meretur, quòd ponendo naturam divinam in Christo, Personam minimè excludimus, sed eam semper cum Catholicâ Orthodoxâ Ecclesiâ simul comprehendimus; quippè quæ ab ipsa ἁοία, sive Essentia aut naturâ divinâ, τῷ λόγῳ sive ratione aut formaliter duntaxat differt: secundum τὸ εἶναι, sive realiter unum quiddam cum ἁοίᾳ permanens.

Non